



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

72 Bonum mihi lex oris tui, super millia auri, & argenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

72 Bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti.

Prov. 8.
Quam
pretiosa
lex Dei.

Baruc. 3.

NEquè argentum, neque aurum cum diuina lege vllò modo conferri possunt. Melior est enim Sapientia cunctis pretiosissimis: & omne desiderabile ei nò potest comparari. Non ergo magnum quid dicitur, cum super millia auri, & argenti suavis, & grata esse perhibetur. Sed quia aurum, & argentum est, in quo confidunt homines; & quod sibi tanquam certissimum præsidium ad omnia cumulant; qui argentum fabricant, & solliciti sunt, nec est inuentio operum illorum, quamuis ea neque pacem, neque sanitatem, neque vitam conferre possint: idcirco illa memorans, quæ errore obcæcati magna putant homines, cum super hæc legem Dei iucundiores habere se dicit, super omnia dicit, quæ homines magnificare solent. Quo enim modo magnitudinem sui amoris erga diuinam legem aptius, ad communem vulgi captum explicaret, quam illam sibi dicens bonam, iucundamque super millia auri, argenti que pondera esse; cum tamen passim homines cæci, ac miserabiles ei vel lucrum exiguum anteponant?

od,